

apparet; quod fuit in resurrectione factum; unde et ipse tunc dixit (Matth. ult., 18): *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; et secundum hunc sensum est eadem ratio de ista sicut de praecedenti, qua dicitur: Filius Dei praedestinatus est esse homo: quia praedestinatio simpliciter importat praedestinationem. Quantum ergo ad primum sensum haec est falsa: Filius Dei est praedestinatus esse Filius Dei.*

Ad primum ergo dicendum, quod eorum quae dicuntur de homine, illa tantum dicuntur de Filio Dei quae non habent repugnantiam intellectum ad Filium Dei. Sed praedestinatus habet repugnantiam: quia Filius Dei aeternus est; praedestinatio autem importat antecessorem, quae non est respectu aeterni.

Ad secundum dicendum, quod illa quae praediciuntur de Filio Dei inquantum est homo, non habent aliquam repugnantiam ad Filium Dei; et ideo non est similis ratio.

Et similiter dicendum est ad tertium.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod haec similiter est falsa: *Filius Dei est praedestinatus*, cum non ponatur aliquid respectu cuius possit antecessio denotari; sed haec: *Filius Dei est praedestinatus inquantum est homo*, est vera: quia potest importari antecessio respectu hominis quantum ad naturam.

Ad primum ergo dicendum, quod missio non importat temporalitatem in eo qui mitti dicitur, sed magis in eo ad quem mitti dicitur, in quo per novum effectum inhabitat; et ideo mitti dicitur persona divina. Sed praedestinatus ponit posterioritatem respectu praedestinationis in eo qui praedestinatur; et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod in aliis praedestinatis potest antecessio importari respectu ipsorum qui praedestinati dicuntur; quod non est de Filio Dei; et ideo non est similis ratio.

DISTINCTIO VIII.

An dicina natura debeat dici nata de Virgine.

Post praedicta inquiri debet, utrum de natura divina concedendum sit quod de virgine sit nata, sicut dicitur de virgine (4) incarnata. Et videtur utique non debere dici nata de virgine, cum non sit nata de patre. Quae enim res non est de patre genita, non videtur de matre nata; ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate, quae illud non tenet in Divinitate. Videtur tamen posse probari, quod sit nata de virgine: quia si hoc est Deum nasci de virgine, scilicet hominem assumere in utero virginis; cum natura divina superius dicta sit hominem assumpsisse, videtur debere dici nata. De hoc Augustinus (Fulgentius) in lib. de Fide ad Petrum (cap. 2) sic ait: *Natura aeterna atque divina non posset temporaliter concipi et nasci ex natura humana, nisi secundum susceptionem veritatis humanae, veram temporiter conceptionem et nativitatem ineffabilis Divinitatis in se accepisset. Sic est Deus aeterna veraciter secundum tempus et conceptus et natus de virgine.* Ista auctoritate videtur insinuari, quod natura divina sit nata et concepta de virgine. Sed si diligenter notentur verba, potius de persona agi intelligitur, quae sine dubitatione et de patre et de matre nata esse dici debet.

(1) Nicolai addit fuisse.

Ad tertium dicendum, quod quamvis non sit nisi unum suppositum, tamen est duarum naturarum suppositum; et potest sibi aliquid convenire respectu unius naturae quod non convenit sibi absolute, sicut esse creaturam.

Expositio textus.

Factus est sine dubio id quod prius non erat. Haec locutio est impropria: quia non potest intelligi neque de natura, quia Deus non est factus humana natura; neque de persona, sive de supposito, quia illud suppositum semper fuit, secundum secundam opinionem; unde exponenda est: *Illud quod prius non erat, idest, habens naturam quam prius non habebat.*

Quia Deus assumpsit hominem, idest humanam naturam, ut supra, dist. 3, glossavit; alias esset contra hanc opinionem quae dicit, hominem non esse assumptum, sed humanam naturam.

Variatur autem intelligentia, cum dicitur, Deus est homo, et homo est Deus. Ratio variationis est quia divina natura praedatur de Christi persona, non autem humana.

Quod etiam dictum est utrumque est, Christus, et una persona, movere potest lectorem. Hoc positum est supra in illo capitulo: *Sed his videtur adversari.*

Hic etiam cum dicitur, minor est Patre Christus secundum quod homo, secundum habitum hoc intelligunt dictum. Ideo hoc exponit secundum hanc opinionem, quia haec opinio non potest hoc sustinere, cum supra dixerit Augustinus in 1 lib. (dist., 16), quod Spiritus sanctus non est minor seipso propter columbam in qua visibiliter apparuit.

Hoc firmiter tenens quod Deus hominem assumpsit. Exponendum est ut supra, ut homo ponatur pro natura humana, sicut ipse docuit supra, dist. 3, exponere.

De gemina nativitate Christi, qua bis natus est.

Quaeri etiam solet, utrum debeat dici Christus bis genitus, ut dicitur Dei et hominis Filius. Ad quod dici potest, Christum bis natum esse, duasque nativitates habuisse. Unde Augustinus (Fulgentius) in lib. de Fide ad Petrum (cap. 2): *Pater Deus de sua natura genuit Filium Deum, sibi coaequalem et coaeternum. Idem quoque unigenitus Deus secundo natus est, semel ex patre, semel ex matre. Natus est enim de Patre Dei Verbum, natus est de matre Verbum caro factum.* Unus igitur atque idem Dei Filius natus est ante saecula, et natus in saeculo; et utraque nativitas unius est Filii Dei, divina scilicet et humana. De hoc etiam Joannes Damascenus ait (in lib. 3, cap. 7, circa med.): *Duas Christi nativitates veneramus: unam ex Patre ante saecula, quae est super causam et rationem et tempus et naturam; et unam quae in ultimis temporibus propter nos et secundum nos et super nos: propter nos, quia propter nostram salutem; secundum nos, quia natus est homo ex muliere, et tempore conceptionis, scilicet non veni mensium: super nos, quia non ex semine, sed ex Spiritu sancto et sancta virgine supra legem conceptionis.* Ex his manifeste apparet, Christi duas esse nativitates, eundemque bis natum fore.

Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de his quae conveniunt Deo incarnato, quasi experimentia unionem, hic determinat de his quae conveniunt ei consequentia unionem; et dividitur (1) in duas partes: in prima determinat de his quae conveniunt uni naturae ex unione ad alteram; in secunda de his quae conveniunt personae ratione naturae assumptae, 10 dist., ibi: *Solet autem a quibusdam inquiri utrum Christus secundum quod homo, sit persona, vel etiam sit aliquid.* Prima dividitur in duas: in prima determinat quid conveniat divinae naturae ex unione ad humanam; in secunda quid conveniat humanae ex unione ad divinam, dist. 9, ibi: *Praeterea investigari oportet utrum caro Christi et anima una eademque cum Verbo debeat adorari et adorari.* Prima dividitur in duas partes: in prima inquiri, utrum divina natura debeat dici nata in Christo ex unione ad humanam; in secunda quomodo Christus dicatur natus, ibi: *Quaeri etiam solet, utrum debeat dici Christus bis genitus.* Circa primum duo facit: primo movet quaestionem, et solvit; secundo objicit in contrarium, et solvit, ibi: *Videtur tamen posse probari quod sit nata de Virgine.*

QUAESTIO I.

Hic quaeruntur quinque: 1.º quid sit nativitas, et quorum proprie est nasci; 2.º utrum humana natura in Christo debeat dici nata; 3.º utrum natura divina debeat dici nata de Virgine; 4.º de duplici Christi nativitate; 5.º utrum sint in Christo duae filiationes.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum solummodo in viventibus sit nativitas.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod non solummodo viventium debeat dici nativitas. Natum enim idem videtur quod genitum. Sed generatio invenitur in omnibus corporibus a lunari globo inferius, quae non omnia vivunt. Ergo videtur quod non solum viventium sit nativitas.

2. Praeterea, idem videtur esse oriri et nasci. Sed dicimus ea oriri quae non vivunt; sicut dicimus quod sol oritur, et fons oritur. Ergo nativitas non solum in viventibus reperitur.

3. Praeterea, vivere substantiarum solum est. Sed nasci, sive oriri, invenitur in accidentibus: dicimus enim splendorem oriri a sole, et calorem ab igne. Ergo nasci non solum viventium est.

4. Praeterea, hoc solum est ingenitum quod non est natum. Sed illa sola dicuntur ingenta quae semper fuerunt, sicut Philosophus ponit caelum ingenitum, quia secundum eum semper fuit. Ergo solum illa non sunt nata; ergo quaecumque incipiunt esse, dicuntur nasci.

5. Sed contra, videtur quod non omnium viventium sit nasci. Nativitas enim causat filiationem. Sed filiatio non invenitur in plantis, quae tamen vivunt. Ergo nec nativitas.

6. Praeterea, constat quod embria vivunt; nec tamen dicuntur nata. Ergo non omnium viventium est nativitas.

(1) Al. haec dividitur.

7. Praeterea, sicut inanimata corpora generantur ex causa extrinseca; ita etiam animalia generata per putrefactionem. Sed inanimata non dicuntur proprie nasci ratione praedicta. Ergo nec animalia generata ex putrefactione.

8. Praeterea, Spiritus sanctus procedit a Patre ut vivens a vivente; nec tamen nasci dicitur. Ergo nec omnis processus rei viventis est nativitas.

Solutio. Respondeo dicendum, quod cum generatio sit communis omnibus corporibus corruptibilibus, tamen in corporibus animatis est specialis modus generationis; et propter hoc etiam habent specialiter inter alias vires animae vim generativam: in viventibus enim primo ex generante dicitur aliquid quod est sufficiens ad generationem quantum ad principium activum et passivum; quamvis in quibusdam idem generans sit quod utrumque ministrat, sicut in plantis, quae non habent sexum distinctum. In quibusdam autem, scilicet quae habent sexum distinctum, a mare ministratur principium activum, a femina principium materiale; et animalia in coitu, secundum Philosophum (lib. 1 de Gener. anim., cap. ult.), sunt quasi unum generans, sicut dicitur Genes. 11, 24: *Erunt duo in carne una.* Et ideo sequitur secundum, scilicet quod generatio est per modum exitus a generante, quod non est in generatione inanimatorum. Tertium autem est quod generatum exiens a generante, in principio generationis adharet ei, et est in eo vel per contactum, vel per consolidationem, sicut dicit Philosophus (in 3 Metaph., text. 3), ut patet in fructibus, qui colliguntur plantis; et de embrione, qui adharet secundum contactum matri. Et quantum ad tres has conditiones res viva, inquantum generatur, habet tria nomina sibi propria. Secundum enim quod principia sufficientia suae generationi ministrantur a generante, dicitur gigni, vel genita esse (1); secundum autem quod generatur per modum exitus, dicitur oriri; secundum autem quod generatur ut conjunctum generanti, dicitur nasci; sic enim generans et generatum est quasi res una; et ideo, cum nomen naturae a nascendo sumatur, illa dicitur esse per naturam quorum principium intus est in ipsis. Et sic patet quod nasci proprie dicitur illud quod egreditur a generante conjunctum ei, habens ab ipso principia sufficientia generationi.

Ad primum ergo dicendum, quod genitum, secundum quod est idem quod natum, non dicitur a generando, sed a gignendo; unde quamvis inanimata proprie dicuntur generata, non tamen proprie dicuntur genita neque nata.

Ad secundum dicendum, quod sol et aqua fontis dicitur per similitudinem oriri, inquantum scilicet egreditur de occulto in manifestum.

Ad tertium dicendum, quod similiter accidentia inquantum sunt virtute in principiis essentialibus, causantur per modum exitus; et ideo dicuntur oriri per similitudinem, et possunt etiam dici nasci, inquantum adhaerent subjecto quod est causa ipsorum.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dicit Damascenus (de Fide, lib. 1, cap. 9), *ingenitum* per duplex n scriptum, est idem quod increatum, sive aeternum; et sic accipit Philosophus; *ingenitum* autem per unum n scriptum idem est quod non generatum; et sic hic loquimur.

(1) Al. est.

Ad quintum dicendum, quod ad filiationem requiritur plus quam ad nativitatem vel ortum, scilicet ut quod exit per generationem a generante, sit completum in specie generantis; et ideo fructus arborum et ova avium et capilli et huiusmodi non habent rationem filiationis, quamvis dicantur nasci.

Ad sextum dicendum, quod genitum exit a generante dupliciter. Uno modo secundum quod procedit in esse distinctum a generante, clausum tamen infra terminos generantis; et hoc proprie dicitur conceptio. Alio modo secundum quod procedit in esse distinctum et manifestum. Et quia res nominatur secundum id quod apparet: ideo ille modus exeundi facit nativitatem secundum communem usum loquendi, quamvis etiam primus aliquo modo faciat nativitatem, secundum quod dicitur duplex nativitas, scilicet in utero, et ex utero. Et quia in plantis simul aliquid procedit in esse distinctum et manifestum; ideo non proprie in eis est conceptio, sed nativitas; et ideo etiam verbum secundum quod distinguitur in intellectu, dicitur concipi; secundum autem quod extra pronuntiat, potest dici per similitudinem nasci.

Ad septimum dicendum, quod in animalibus generatis ex putrefactione virtus solis et aliorum corporum caelestium supplet vicem virtutis formativae quae est in semine in generatione eorum quae ex semine nascuntur. Et quia huiusmodi virtutes corporum caelestium sunt per omnia inferiora corpora diffusae; ideo dicit Philosophus (in 17 lib. de Gener. animal., cap. 11), quod omnia plena sunt virtutibus animae (1); et ideo sicut animalia quae generantur ex semine, se habent ad feminam, ita ista se habent ad terram, quae sine semine generatur; et sicut illa se habent ad patrem, ita ista se habent ad corpora caelestia: propter quod dixit quidam philosophus (lib. 13 de Animal., cap. 2), quod sol est pater plantarum, terra vero mater. Unde patet quod huiusmodi quae sine semine generantur, sive sint plantae, sive animalia, proprie dicuntur nasci, oriri et gigni.

Ad octavum dicendum, quod quamvis Spiritus sanctus procedat vivens ex vivente, non tamen hoc convenit secundum rationem suae processionis: procedentem ut amor; amor autem consideratus in genere inquantum amor, non habet quod sit res viva, sed operatio vel passio rei viventis; habet tamen quod sit res viva et subsistens, inquantum est amor divinus; et ideo non dicitur nasci, ut in 1 lib., dist. 13, qu. 1, art. 3, ad 5, dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum humana natura sit nota in Christo.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur, quod humana natura sit nota in Christo. Sicut enim supra dictum est, illa de persona vel supposito, et non de natura, dicuntur, quae per se existenti solum conveniunt, sicut hypostasis, res naturae, et huiusmodi. Sed nasci non est solum per se existentium, cum sit partium: supra enim, dist. 4, habitum est quod capillus nascitur. Ergo nasci non solum est personae vel suppositi, sed etiam naturae.

2. Praeterea, id quod est per se intentum a natura generante, verissime dicitur nasci. Sed na-

(1) *Subdit Nicolai, vel simpliciter animae plena.*

tura quamvis generet hunc hominem, intendit tamen hominem generare, ut dicit Avicenna. Homo autem naturam communem significat. Ergo naturae humanae maxime convenit nasci.

5. Praeterea, secundum Philosophum (2 Phisic., text. 70), idem specie est quod generat et quod generatur. Sed naturae est generare. Ergo ipsius est etiam generari sive nasci.

4. Praeterea, Christus non dicitur natus de Virgine, nisi secundum hoc quod de Virgine accepit. Sed non accepit nisi humanam naturam. Ergo humana natura dicitur nasci de Virgine.

5. Praeterea, omne quod coepit esse ex aliqua materia, dicitur generari. Sed humana natura in Christo coepit esse ex aliqua materia. Ergo humana natura in Christo dicitur nasci.

Sed contra est quod dicit Damascenus, quod nasci est tantum hypostasis. Ergo non est naturae.

Praeterea, sicut se habet divina natura Christi ad aeternam ejus generationem; ita et humana natura ad temporalem. Sed natura divina non est nata aeterna generatione. Ergo nec humana temporalis.

Solutio. Respondeo dicendum, quod nasci fieri quoddam est; nihil autem fit nisi ut sit; unde secundum quod alicui convenit esse, ita et convenit ei fieri. Esse autem proprie subsistentis est; unde dicitur proprie nasci et fieri. Forma autem et natura dicitur esse ex consequenti: non enim subsistit; sed inquantum in ea suppositum subsistit, esse dicitur; unde et ex consequenti convenit ei fieri vel nasci; non quasi ipsa nascatur, sed quia per generationem accipitur. Accidentia autem non dicuntur esse nisi per accidens; unde et per accidens fieri dicuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod est duplex pars. Est enim pars substantiae secundum quantitatem; et hoc vel subsistit in potentia, ut in continuo: vel in actu, ut in his quae per tactum junguntur; unde tales partes possunt dici fieri vel nasci, et praecipue quando adduntur toti praesistenti; secus autem e-set, si generarentur generatione totius: quia tunc totum diceretur fieri, et non ipsa. Sunt etiam partes substantiae, in quas dividitur totum secundum rationem, sicut materia et forma; et huiusmodi, cum non subsistant neque in actu neque in potentia, non dicuntur per se fieri; nisi forte forma sit subsistens, sicut est anima, quae dicitur fieri per creationem, praeter factionem qua fit compositum per generationem. Natura autem humana, quae ut pars significatur, non est nata subsistere, cum non possit in rerum natura esse nisi in atomo, id est in suo supposito; et ideo ipsa non potest dici nasci.

Ad secundum dicendum, quod homo non significat tantum naturam, prout hic loquimur, sicut patet ex dictis in 3 dist., qu. 1, art. 5; et ideo non sequitur ratio. Non enim natura intendit naturam producere nisi in supposito; et ideo non intendit generare humanitatem, sed hominem.

Ad tertium dicendum, quod sicut esse suppositi est, ita et agere: et ideo sicut naturae est generare, non quasi ipsa generet, sed quia virtute ejus fit generatio; ita non est ipsius generari, quasi ipsa generetur, sed quia per generationem accipitur.

Ad quartum dicendum, quod sicut Christus dicitur homo ratione humanae naturae, et tamen hu-

mana natura non est homo; ita etiam dicitur nasci ratione humanae naturae quam accepit a Virgine, et tamen ipsa humana natura non generatur: sicut enim dicit Dionysius (2 cap. de div. Nom.), non oportet quod eodem modo causa et causatum recipiant praedicationem alicuius generis vel speciei; sicut calor est quod aliquis dicitur calidus; et tamen ipse non est calidus, sed calor.

Ad quintum dicendum, quod cum esse non sit naturae sed suppositi, humana natura proprie non coepit esse, sed Christus coepit esse in humana natura; et sic per consequens natura coepit esse.

ARTICULUS III.

Utrum divina natura in Christo nota sit de Virgine.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod natura divina in Christo sit nata de Virgine. Filius enim Dei non dicitur natus de Virgine, nisi inquantum est incarnatus. Sed natura divina dicitur incarnata, ut supra, dist. 3, qu. 2, art. 2 ad 4, dictum est. Ergo ipsa debet dici nata de Virgine.

2. Praeterea, quidquid in recto praedicatur de Petro, dicitur nasci ipso nato: sequitur enim: Petrus est natus: ergo homo, ergo animal, ergo substantia. Sed natura divina in recto praedicatur de Filio Dei. Ergo cum Filius Dei sit natus de Virgine, etiam divina natura debet dici nata de Virgine.

5. Praeterea, in Filio Dei non est accipere nisi essentiam et proprietatem. Sed absurdum esset dicere, quod ratione proprietatis tantum dicitur natus de Virgine: quia proprietatis illa relatio est secundum quam ad Patrem, qui generat sine matre, refertur. Ergo est natus ratione divinae naturae; et sic idem quod prius.

4. Praeterea, Bernardus dicit (hom. 2 sup. Missus est), quod in incarnatione est fortitudo infirmata. Sed infirmari magis est remotum a natura divina quam nasci. Ergo etiam potest dici nasci.

Sed contra, natura divina magis convenit cum generatione Christi aeterna quam cum temporali. Sed ipsa non est nata generatione (1) aeterna, ut in 1 lib., dist. 3, qu. 2, art. 5 ad 2, et 3, dictum est. Ergo multo minus est nata generatione temporalis.

Praeterea, humana natura non proprie dicitur nasci generatione humana. Ergo multo minus natura divina.

Solutio. Respondeo dicendum, quod natura humana quamvis non dicitur proprie nasci in Christo de Virgine, eo quod nasci non est naturae sed hypostasis; tamen consequenter ad generationem se habet, quia est per generationem accepta. Divina autem natura non est a Christo per temporalem generationem accepta; unde nullo modo debet dici nata de Virgine, nec per se, nec per consequens, si natura proprie accipitur; secundum quod pro essentia supponit. Tamen quia aliquando proprie trahitur ad supponendum pro persona, sicut in 3 dist. 1 libri dictum est; ideo etiam aliquando invenitur quod natura divina sit nata, sicut patet in littera; unde exponendum est sicut Magister exponit.

Ad primum ergo dicendum, quod Filius Dei univit sibi humanam naturam, et in se: quia uno termi-

(1) *Al. de generatione.*

nata est ad personam. Non autem ita est de divina natura, ut patet ex dictis supra, dist. 1, qu. 2, art. 1; unde non est simile.

Ad secundum dicendum, quod natura divina non habet inquantum est natura, quod praedicatur in recto de persona Filii Dei, sed ratione simplicitatis divinae, quae non permittit aliquam realem diversitatem in ipso; sed differentia est in modo significandi, qui facit quod aliquid de persona dicitur quod de natura dici non potest.

Ad tertium dicendum, quod in Filio Dei non solum est accipere naturam et proprietatem, sed etiam hypostasim, sive personam; quamvis unum illorum ab altero secundum rem non differat; et ratione hypostasis dicitur Filius incarnatus, inquantum sibi carnem acciavit in unitate personae.

Ad quartum dicendum, quod fortitudo dicitur infirmata, id est infirmitatem assumptisse; et ideo impropria est locutio, nec ad consequentiam trahenda.

ARTICULUS IV.

Utrum ponendae sint duae nativitates Christi vel una. — (3 p., qu. 2, art. 2.)

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod non sint ponendae duae Christi nativitates. Nasci enim non est naturae, sed personae. Sed in Christo est tantum una persona. Ergo et una nativitas.

2. Praeterea, cum nativitas sit generatio quaedam, per nativitatem aliquid ad esse tendit. Sed in Christo est tantum unum esse. Ergo tantum una nativitas.

5. Praeterea, ea quae non sunt unius rationis, non debent connumerari, sicut canis caelestis et terrestris non dicuntur duo canes. Sed generatio Christi temporalis et aeterna non sunt unius rationis. Ergo non debent dici duae nativitates.

Sed contra, nullus dicitur filius alicuius nisi ratione alicuius nativitatis. Sed Christus dicitur Filius (1) Patris, et etiam matris. Ergo utrumque est secundum aliquam nativitatem, et non secundum eandem; ergo in Christo sunt duae nativitates.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod Christus non debet dici bis natus. Ratione enim ejus quod advenit alicui post completum esse, non dicitur alicui natus: sicut homo non dicitur nasci, quarevis capillus per aliquam nativitatem adveniat. Sed humanitas Christi advenit Filio Dei post completum esse. Ergo propter hoc non debet dici ipse natus, quod humana naturam accepit.

2. Praeterea, hoc adverbium *bis* importat successionem actuum. Sed generatio aeternae non succedit temporalis: quia aeterna semper est; unde est simul cum temporali. Ergo ratione duplicis nativitatis non debet dici bis natus.

5. Praeterea, hoc adverbium *bis* importat interruptionem; unde qui tota die loquitur, non dicitur bis loqui. Sed aeterna generatio non habet interruptionem. Ergo ratione ejus non debet dici bis natus.

Sed contra, hoc adverbium *bis* numerat actum

(1) *Al. Dei Filius.*

cui adiungitur. Sed duplex est Christi nativitas. Ergo secundum eas debet dici bis natus.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam quaestionem, quod Christus processit a Patre aeternaliter, et a matre temporaliter; et utraque processio habet rationem nativitatis. Secundum enim processionem aeternam Filius est de substantia Patris, et exit ab eo in personam distinctam; et tamen est conjunctus Patri propter indivisionem substantiae, quia Verbum apud Deum est; unde patet quod salvantur suo modo tria illa quae dicebantur supra, art. 1, esse de ratione nativitatis; et propter hoc dicitur oriri, et gigni, et nasci. Sed processio ejus temporalis, qua procedit a matre, habet nativitatis rationem, sicut cujuslibet alterius qui ex sua matre nascitur. Unde sicut duae sunt ejus processiones, ut dictum est, in 1 libro, dist. 14, qu. 1, art. 2, ita etiam sunt duae nativitates.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis nasci sit personae, est tamen ejus ratione naturae; unde secundum duas naturas quas per generationem accepit, habet duas nativitates.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in Christo sit unum esse, tamen secundum illud habet respectum ad duas naturas, ut supra, dist. 6, qu. 2, art. 2, dictum est: et ita nativitas est duplex secundum duplicem respectum qui acquiritur personae ad duas naturas acceptas per generationem.

Ad tertium dicendum, quod quamvis non sit una ratio per univocationem aeternae et temporalis nativitatis, est tamen una per analogiam.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod *bis*, cum sit adverbium, ponit numerum circa actum. Cum autem motus et actus numerentur tripliciter: scilicet ex subjecto, quia est alius et alius agens; et ex terminis, quia est aliud et aliud quod agitur; et ex mensura actus, quia nunc et tunc agit: hoc adverbium *bis* non importat numerum, nisi qui causatur ex diversa mensura; unde non dicitur *bis* lectum esse, si duo legant, nec si duo libri simul legantur; sed quando diversis horis legitur. Quia autem in his quae aguntur in tempore non est alia mensura nisi tempus, et hoc non est aliud et aliud, nisi quando discontinuatur; ideo *bis* dicitur factum esse, quando aliquid cum interruptione factum est. Aeternitas autem et tempus sunt diversae mensurae secundum diversam naturam, et non per discontinuationem; unde quod fit in aeternitate et tempore, potest dici *bis* factum esse; quamvis id quod aeternum est, non interrumpatur nec cesset.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis humana natura adveniat Filio Dei post esse completum, tamen Filius Dei totus subsistit in utraque natura: non autem ita est de toto homine ad capillum; et ideo ratio non procedit.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de his quae aguntur in tempore.

Et similiter ad tertium; et ideo non sunt ad propositum.

ARTICULUS V.

Utrum in Christo sint duae filiationes.

(5 p., qu. 2, art. 3; et quol. 9, qu. 2, art. 3.)

Ad quintum sic proceditur. 1. Videtur, quod in Christo sint duae filiationes. Multiplicata enim

causa, multiplicatur effectus. Sed nativitas est causa filiationis. Ergo cum in Christo sint duae nativitates, erunt in ipso duae filiationes.

2. Praeterea, relativa sunt quorum esse est ad aliud se habere. Sed esse filiationis aeternae non est ad matrem Christi se habere. Ergo per eam non refertur ad matrem. Sed aliqua filiatione refertur ad matrem. Ergo in Christo sunt duae filiationes.

3. Praeterea, relativa posita se ponunt, et interempta, se interimunt. Sed maternitate interempta a Virgine, non interimitur filio aeterna. Ergo oportet ponere aliam filiationem, quae ponatur posita maternitate, et interimatur ea remota.

4. Praeterea, motus diversificatur per terminos. Sed sicut motus habet speciem a terminis, ita relatio. Ergo cum Christus sit filius Patris et matris, oportet quod alia filiatione ad utrumque referatur.

5. Praeterea, Philosophus (in 3 Metaph., text. 20) probat, quod scientia non refertur ad scientem: quia cum referatur ad scibile, et hoc sit sum esse in quantum ad aliquid est, oporteret, si diceretur ad scientem, quod haberet duplex esse. Si ergo filiatione refertur Christus ad Patrem et matrem, oportet quod sint duae filiationes secundum esse.

6. Praeterea, sicut supra, dist. 1, Magister dixit, Pater posset carnem assumere. Sed si de Virgine carnem assumpsisset, Filius Virginis diceretur. Non autem referretur ad Virginem filiatione aeterna, quia eam non habet. Ergo filiatione temporali, ergo eadem ratione oportet in Christo ponere filiationem temporalem.

Sed contra, filio est proprietas personalis. Sed in Christo est tantum una persona. Ergo tantum una filio.

Praeterea, sicut Christus est Filius Patris et matris, ita quilibet alius homo. Sed non alia filiatione refertur homo ad patrem et matrem. Ergo nec in Christo sunt duae filiationes.

Praeterea, duo accidentia ejusdem rationis non possunt esse in eodem subjecto: unde eadem paternitate homo refertur ad multos filios. Sed suppositum filiationis in Christo est unum tantum. Ergo in eo non possunt esse plures filiationes, sed una tantum.

Praeterea, quodlibet continuum est majus omnibus suis partibus. Sed in quolibet continuo sunt infinitae partes in potentia. Ergo ad hoc quod aliquid referatur ad diversa per diversas relationes, oportet quod sint infinitae relationes in aliquo continuo, quod est inconveniens; et iterum quod in quolibet continuo sint totae aequalitates quot rebus aequale est.

Solutio. Respondeo dicendum, quod, sicut in 1 lib. dist. 26, qu. 2, art. 2, dictum est, relatio non habet ex hoc quod ad alterum dicitur, quod sit aliquid in rerum natura; sed hoc habet ex eo quod relationem causat, quod est in re quae ad alterum dicitur. Et quia ex eo res habet unitatem et multitudinem ex quo habet esse; ideo secundum id in quo relatio fundatur, iudicandum de ea est, utrum sit secundum rem una, vel plures. Sunt ergo quaedam relationes quae fundantur super quantitatem, sicut aequalitas, quae fundatur super unum in quantitate; et cum unitas quantitatis non sit nisi una in re una, inde est quod per unam aequalitatem est res aequalis omnibus quibus dicitur

aequalis. Aliae vero relationes fundantur super actionem et passionem: et in istis considerandum est, quod una passio respondet duabus actionibus, quando neutrum agens sufficit per se ad actionem complendam, sicut est in eo qui una nativitate nascitur ex patre et matre; unde in patre et matre sunt duae relationes secundum rem, sicut et duae actiones; sed in nato est una relatio secundum rem, secundum quam refertur ad patrem et ad matrem, sicut et passio una. Item considerandum est quod quaedam relationes non innascuntur ex actionibus secundum quod sunt in actu, sed magis secundum quod fuerunt; sicut aliquis dicitur pater postquam ex actione est effectus consequens; et tales relationes fundantur super id quod in agente ex actione relinquitur, sive sit dispositio, sive habitus, sive aliquid jus aut potestas, vel quidquid aliud est hujusmodi. Sed quia hoc quod relinquitur ex actionibus unius speciei, non potest esse nisi unum; inde est quod tales relationes etiam secundum rem non multiplicentur secundum diversas actiones, sed magis sunt unum secundum id quod ex actione relinquitur; et propter hoc non sunt diversae relationes secundum rem in patre uno qui generat plures filios, nec in magistro uno qui docet plures discipulos. Si autem sint plures actiones secundum speciem, causant etiam plures relationes specie differentes. Unde cum Christus non per unam generationem passivam se habeat ad generationem activam Patris et ad generationem activam matris, sed per aliam et aliam; et hae duae generationes non sint unius generis, nedum unius speciei: nihil (ut videtur) impediret quin in Christo possent esse duae filiationes secundum rem differentes, nisi immediatum subjectum filiationis esset suppositum; quod quidem, secundum secundam opinionem, non est nisi suppositum aeternum in Christo. Et quia ex nullo temporali advenit rei aeternae aliqua realis relatio, sed rationis tantum; ideo filio quae consequitur Christum ex generatione temporali, non est realis, sed rationis tantum; et tamen realiter filius est; sicut et Deus realiter Dominus ex hoc est quod creatura realiter refertur ad ipsum. Unde concedo, quod in Christo non est nisi una filio realis, quae refertur ad Patrem, et respectus quidam rationis quo refertur ad matrem. Tamen prima opinio, quae ponit duo supposita, posset ponere duas filiationes; nec tamen poneret duos filios masculinos, sed duo filia neutraliter, si latine diceretur.

Ad primum ergo dicendum, quod nativitas temporalis, sive generatio passiva, Christi est quaedam relatio quae secundum rem fundatur in humana natu-

ra; et ex hoc nominatur natus, sicut et homo: sed subiectum filiationis non potest esse natura, cum sit ejus quod habet complementum speciei, ut supra dictum est; et ideo duae nativitates causant duas filiationes; sed unam tantum secundum rem, et aliam secundum rationem.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus non accepit esse secundum quod dicitur actus entis (sic enim relatio non habet esse ex eo ad quod dicitur, sed ex subjecto, sicut omnia alia accidentia), sed accepit esse pro quidditate, vel ratione, quam significat definitio. Ratio autem relationis est ex respectu ad alterum. Unde ex hoc quod Filius Dei refertur ad matrem, non oportet quod habeat aliam filiationem secundum rem, sed alium respectum relationis.

Ad tertium dicendum, quod maternitas posita ponit alium respectum in Christo, et remota removel illum respectum; sed non oportet quod ponat aliam filiationem realem.

Ad quartum dicendum, quod omnium motus est aliquid secundum rem, non autem omnis relatio. Ergo quamvis ex terminis multiplicentur respectus relationis, non tamen oportet quod multiplicentur relationes secundum rem, sicut motus multiplicentur secundum rem ex diversitate terminorum.

Ad quintum dicendum, quod respectus scientiae ad scientem et ad scibile, non est unius rationis; sed respectus ejus ad scientem inest ei ex hoc quod est accidens; respectus autem ejus ad scibile inest ei ex hoc quod est scientia; unde si referretur, in quantum est scientia, ad utrumque, oportet quod essent respectus diversi secundum speciem. Sed respectus filii ad patrem et ad matrem est ad terminos unius rationis; unde non oportet quod sit diversa relatio secundum speciem, neque secundum rem.

Ad sextum dicendum, quod si Pater carnem assumpsisset de Virgine, esset filius Virginis, non quidem per aliquam realem filiationem, cujus suppositum aeternum subjectum esset, sed per respectum rationis tantum.

Expositio textus.

Hoc est Deum (1) nasci de Virgine, scilicet hominem assumere. Verum est, si humana nature dicitur homo; et si assumere dicitur ad se sumere, vel in se, quod divinae naturae non convenit.

(1) Al. enin.

DISTINCTIO IX.

De adoratione humanitatis Christi: an eadem sit adoratio humanitati et divinitati exhibenda.

Praeterea investigari oportet, utrum caro Christi et anima una eademque cum Verbo debeant adoratione adorari, illa scilicet quae latra dicitur. Si enim animae vel carni Christi exhibetur latra, quae intelligitur servitus sive cultus soli Creatori debitus; cum anima Christi vel caro creatura tantum sit, creaturae exhibetur quod soli Creatori debetur; quod facienti in idolatriam deputatur. Ideoque quibusdam videtur non illa adoratione quae latra est carni Christi vel animae esse adorandam, sed ea quae nulla est; cujus duas spe-

cies vel modos esse dicunt. Est enim cujusdam modi dulia quae creaturae culti debetur; et est quaedam soli humanitati exhibenda, non sibi creaturae: quia Christi humanitas super omnem creaturam est veneranda et diligenda: non tamen adeo ut cultus Divinitati debitus ei exhibeatur: qui cultus in dilectione et sacrificii exhibitione atque reverentia consistit, qui latine dicitur pietas, graece autem theosebia, id est Dei cultus, vel eusebia, id est bonus cultus (1).

(1) In textu Magistri ex his quae sequuntur, specialis instituitur paragraphus cum hoc titulo: Aliorum sententia, qui unam adorationem utrique exhibendam tradunt.